DUCE ET AUSPICE CHRISTO!

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

ΧΛΩΡΩΣΕΙ

Seu

FOEDIS VIRGINUM COLORIBUS,

Quam,

Consensu Gratiosissimæ Facultatis Medicæ in Illustri SALANA,

PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO

DN. GEORGIO WOLFF-GANGO WEDELIO,

Med. Doct. Theoret. P. P. Archiatro Saxonico & S.R.I. Academ. Natur. Curios. Adjuncto gravissimo,

Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore ætatem venerando,

PRO LICENTIA,

Summos in Arte Medicâ Honores, Insignia ac Privilegia DOCTORALIA legitime capessendi,

publico Eruditorum examini subjicit

JULIUS ALBERTUS Stockhausen/

GOSLARIENSIS,

In Auditorio Majori,

Horis consvetis ante- & pomeridianis,

Ad diem XXX. Septembr. Anno M DC LXXXI.

JENÆ, LITERIS KREBSIANIS.

PROOEMIUM.

INter omnia, quæ ſenſus noſtros voluptate quadam afficere ſolent, primas facile tenent, quæ principem illorum, viſum, incurrunt, & pulchra dici conſueverunt. Quid enim in univerſi hujus admirabili ſtructura magis ſenſus oblectaverit, quam exactiſſima omnium proportio & diſpoſitio ſeu pulchritudo? Hæc quippe oculis noſtris omnium primò ſeſe ingerit animumque in admirationem rapit. Quid aliud prius in homine licet aliàs ignoto non oculos tantum noſtros, ſed animum quoque ferit, noſtrumque favorem ambit, quam formæ gratia & tum reliqui corporis, tum oris inprimis decor? Præ reliquis autem mortalibus fœmineum ſexum tanquam privilegio ſingulari dotavit natura, ut pulchritudinis gloria excellat. Quo factum eſt, ut inter fœminarum præcipua ornamenta forma elegans numeretur, & ab ipſis omnium ſtudioſiſſimè colatur. Viros enim, effato Poetæ, neglecta magis decet, id eſt, illi non tantopere decorationi & colendæ formæ ſtudere debent, quam fœminæ. Licet vero plura ſint, quæ veram nec imaginariam pulchritudinem conſtituant ac abſolvant, ut perfecta & ferè mathematica omnium partium ἐυμετρία ſeu proportio, juſta magnitudo, aliaque; omnium tamen primo cutis teneritas, nitor ac color deſideratur, in noſtratibus præprimis ex candido

rubescens. Hinc candorem niveum & lacteum toties commendat amorum magister *Ovidius*; *Tibullus* vero candidi ac rubicundi mixturam deprædicat, dum *eleg. 2.* dicit:

Candor erat qualem præfert Latonia luna,
Et color in niveo corpore purpureus.

Et Lucianus in *dialog.* de faciei maxime candore inquit: ὅκη ἐπαινεῖται δὲ τοῦτο, ἤν μὴ ἐπιτρέπῃ αὐτῷ καὶ ἐρύθημα. Ut igitur hanc coloris præstantiam salvam conservent, omnibus modis anniti debent, quæcunque formæ dignitati studere volunt; idque eò magis, quo pluribus modis illa vitiari ac corrumpi potest. Maximè vero in virginibus dicta formæ elegantia peculiari morbo fœdari solet, quem ob id VIRGINEUM dixeruntLatini, Græci χλώρωσιν, in cujus naturam latius paulo inquirere ipsumque Dissertationis Inauguralis loco proponere libuit. Quæ res ut feliciter cedat, Divini Numinis gratiam & auxilium supplex imploro.

ARTICULUS I.



Ntequam in affectus nostri realem considerationem plenis, quod ajunt, velis tendamus, haud inconveniens nec injucundum fuerit, si nomenclaturam ipsam breviter excutiamus, hujus enim cum re ipsâ congruentia non parvum ad ejus enodationem adjumentum afferet. Si ergo divini *Hippocratis* loculos exquiramus, frequentissimè utitur ad decolorationem faciei exprimendam voce χλωρὸς, non semel tamen & in abstracto χλωρότης vox occurrit, ut *l.6.epid.s.3.t.57.* Quid verò per eandem intelligat, tum *Galeni* clarum est testimonium, *comm.2. de vict. acut. t. 22.* Asiatico loquendi more idem quod ὠχρὸν, seu *pallidum* notari innuentis; tum ex collatione textuum *Coi* plurium. Sæpe quidem ἀχροιαν vocare amat passim, & speciatim famulam, cui septem annis menses non prodierant,

rant, *ἄχεϱον* fuisse scribit *l. 4. epid. c. 22. t. 11.* rarius *ἀυχεώτων* meminit; attamen *χλωεὺς* non solùm nominat, quos alibi *ὠχεὺς* vid. *Holler. comm. in coac. pag. 1089.* Sed & hoc vocabulo unicè delectatur. Hinc asserendum videtur eundem per *χλωεὸν*, seu quod hodiè magis in usu, *χλώϱωσιν*, ceu generali vocabulo, omnem latitudinem decolorationis comprehendere. Patet id ex derivatione vocis, dicitur enim *ἀπὸ τῆς χλόης ab herbis*, quo non saltim herbaceus, viridis, color exprimitur, quæ propria est significatio, sed & arescentium herbarum, & vividum nativum virorem exuentium, unde elegantissimâ metaphorâ pallidus faciei color notatur, isque non minus ac in herboso genere multis modis varians. Patet idem partim ex aliis pluribus locis apud *Gorræum in defin. med.* & *Foes. in œcon. Hipp.* legendis; partim evidentissimè ex *l. 6. epid. s. 3. t. 39.* ubi subpallidorum, ex rubro pallentium, & subpallidè nigricantium meminit. Conf. *Martian. in comm. pag. 277.* & *Hoffmann. Inst. l. 3. c. 66. pag. 395.* Utut verò latiori illo significatu gaudeat per dicta Chlorosis, usu tamen inoluit, ut speciatim exprimat variam illam faciei & reliquarum partium quoad colorem mutationem in fœminis; inprimis virginibus puberibus aut viro maturis, ejusque latitudinem innuat. Modò enim pallorem contrahunt cadaverosum, modò lutea aut subviridis tinctura pallori se adsociat, modò aliter color vitiatur. Idem alii aliis denominationibus, longius tamen hîc non recensendis, exprimere solent. Sic dicitur aliàs Morbus Virgineus, Icterus Albus, Cachexia virginea; quin &, ast impropriè & per quandam analogiam, febris alba virginum, amatoria, virginea nonnullis appellatur, licet *Hoffmannus l. c.* hanc à chlorosi, seu cachexiâ citrinâ velit distinguere. Plura hanc in rem videri merentur apud *Poterium cent. 1. obs. 30. pag. 39.* Germ. Die Mißfarbe dicitur.

ART. II.

VT verò realem DEFINITIONEM affectus nostri exhibeamus, sequentem sistimus: *Chlorosis est coloris partium corporis externarum & inprimis teneriorum ac faciei è vivido in pallidum aliumve fœdum mutatio, à liquoribus*

 vitali-

vitalibus, ob menſes obſtructos, corruptis & in cute reſtagnantibus, producta, quam ſymptomata alia plurima comitantur. Ex definitione hâc facile patet, cui rerum p. n. claſſi accenſenda ſit Chloroſis, nempe ſymptomatum, & quidem qualitatis mutatæ, nempe in colore. Hic enim omnium primò in conſideratione hoc malo laborantium in oculos incurrit, dum ζωθικὸν illud faciei ἄνθος mire defœdatum, formæque adeo gratia plane ablata, primum hujus mali indicium præbet, cum omnium oculis ſeſe ingerat, ægrasque de auxiliis quærendis admoneat. Cum verò ſymptomata iſta dicta qualitatis mutatæ juxta Inſtitutionum Doctores non immediate à morbo quodam, ſed alio etiam ſymptomate & inprimis actione læſa dependeant, noſtrum quoque affectum talem cauſam agnoſcere neceſſe eſt. Nullam autem aliam quam nutritionis depravationem, ſeu potius ſucci nutritii læſam conſtitutionem ac diſtributionem accuſare poſſumus.

ART. III.

SUBJECTUM hujus affectus in genere, ut ex definitione patet, eſt corpus fœmineum, inprimis verò virgineum illibatum, ſub adoleſcentiæ annis, hiſce enim ſolis hoc morbi genus peculiare eſt, cum ab utero malè affecto ortum ducat, unde quod *Borellus cent. 4. obſ. 54.* Chloroſin in puellâ 8. annorum vidit, inſolitum eſt, & vel ad pallorem illi contradiſtinctum referendum, vel ad ἰδιοσυγκρασίαν, quâ maturius ſolito ſanguis ὀργασμὸν concepit, exitu tamen per menſes, ob teneritudinem vaſorum, minus conceſſo. In ſpecie verò, ut eò melius omnia pateant, commodè duplex ſtatui poteſt; alterum SYMPTOMATIS ſecundarii, nempe coloris mutati; alterum ejus CAUSÆ ſeu ſymptomatis primarii. Duo enim diſtincta hæc ſunt, duasque maximè à ſe invicem diverſas ſedes occupant. Coloris enim illius vitiati, ſeu ex virore pallidi, ſubjectum eſt cutis tum quoad totam ejus extenſionem ac latitudinem, tum quoad partes inprimis teneriores, ut faciei, labiorum &c. in quibus mira deformitas maximè elucet. Cutis enim ſedes coloris naturalis eſt, quod extima ejus pars ſit, & radios lucis, quæ vera coloris eſſentia eſt, incidentes pro varia ejus conſtitutione &

confor-

conformatione recipiat & reflectat. Ut verò eò distinctius hoc subjectum concipi possit, & quomodo immutatio ista coloris naturalis contingat, necessum erit structuram cutis unà cum tegmine suo cuticula breviter penitius considerare, & quomodo color naturaliter in eâdem producatur.

ART. IV.

QUod si itaque non tantum intenta visus acie, sed armato oculo superficiei corporis examen aggrediamur, docente oculatissimo & plus quam Lynceo Anatomico *Malpighio de tact. organ. p. m. 59.* occurrit primò cuticula, quæ tenuem pelliculam repræsentat, igne actuali facilè separandam; quæ striis suis subjecto corpori respondet, innumeraque sudoris ostia valvulis quasi munita transmittit. Cuticula hæc sibi relicta coloris omnis expers est, non opaca, sed pellucidissima; unde etiam coloris subjectum esse nequit, sed temperat tantum subjacentium partium tincturam, non aliter ac impositi vitri lamellæ picturarum refringere chromatismos solent, uti loquitur ingeniosissimus juxta & accuratissimus *Pechlinus de colore & habitu Æthiopum cap. 15. p. 160.* Subtus cuticulam sese offert reticulare corpus simile ei quod in linguâ observatur, cujus creberrimis foraminibus continentur tum sudoris vascula, tum innumeræ pyramidales papillæ ex cute emergentes, verbo glandulæ cutaneæ poris ad extra hiantes. Mucus hicce seu textum reticulare nodis plurimis conspicuum arctissimè tum cuticulæ tum cuti substratæ adhæret, ut non nisi providissima manu separari possit. Humido perfusum est istud reticulum, nunc viscoso lymphatico, limpido, ut naturaliter in Europæis inprimis septentrionalibus solet, ubi ad sensum nullâ constanti gaudet tincturâ, ad quamvis autem recipiendam aptum est; nunc succo glutinoso, fuliginoso, opaco & nigro, ut in Æthiopibus & Nigritis observabile. Reticulo huic filamentoso subjacet tandem cutis, quæ, clarissimo *Stenone* teste, ex nervorum, arteriarum, venarum tendinumque fibris conflata, adeoque maximam partem fibrosa est. Unde juxta *Malpighium* innumeris nervosis papillis in exteriori inprimis superficie constat, quæ basi suâ substantiæ cuti inhærent, &,

uti

uti dictum, in cuticulam desinunt. Præter has papillas plurimis arteriolis venisque capillaribus, nervosis papillis intertextis, instructa est, in illis præsertim partibus quæ teneriores & rubedine majori præditæ observantur, ut labiis, genis, totâque adeo facie; neque enim quoad essentialia in hâc differentia observatur, sed quoad accidentalia potius, quatenus præter alia, mox dicenda, villi nervei & glandulæ cutaneæ ibidem ob occursum continuum aeris robustiores observantur.

ART. V.

EX quibus facilè colligere licet, à quonam principio color iste naturalis arcessendus sit & quomodo in hisce dictis partibus contingat. Cum enim fibrosæ totius corporis & adeò cutis quoque partes omnes albicantes sint; color verò hominum cutaneus maxime differat, & nunc ex albedine & rubore vivido mixtus, ut in Europæis & Germanis nostratibus, (qui tamen non mutata partium solidarum textura varias mutationes subit;) Æthiopum autem seu Nigritarum nigredo, albicantibus licet maxime tum cutis tum cuticulæ fibris, constans & indelebilis fit; satis patet, non illas fibrosas cutis partes, sed omnium maxime liquidum quoddam corpus fibrosas illas perfluens ac tingens refractionis istius lucis fundamentum & coloris adeò principium esse. Est verò liquidum hoc corpus, tum succus iste reticulum subcuticulare oblinens, pro varia suâ tincturâ; tum sanguis, in vasis copiose per cutim dispersis contentus, ad quem radii lucis per cuticulam pellucidam pertingunt, inque eodem reflectuntur. Prout itaque utrumque hoc humidum sese habet, ita etiam color in superficie corporis variat. Si succus iste fuliginosus, niger & opacus fuerit, qui radios lucis planè absorbeat, ut in supra dictis Nigritis contingit, tristis nigredo superficiem occupat. Ab hoc enim principio unice istorum nigredo deducenda est, cuticulâ pariter ac cute pellucidâ existente; de quo latius videri potest laudatus *Malpighius l.c. p.60.* & *Pechlinus cap. 7. pag. 67. & sequent.* Sin albicans & lymphicus existat, ac sanguis in vasis capillaribus probe rutilet, cum rubedine commixtus candor corporis peripheriam tingit. Et quo copio-

copiosius dicta sanguinea vascula cutim investiunt, quoque cuticula tenuior existit, eo rubicundiori ac gratiori colore pars se commendat, id quod de genis, labiis similibusque membris ante diximus. Nec nullæ hic spirituum animalium per supra descriptas nerveas cutis papillas oberrantium partes sunt, quippe qui motu suo continuo effervescentiam quasi sanguinis excitant, ejusque colorem magis exaltant & vividiorem ac splendidiorem reddunt. Hujus rei exempla præbent affectus animi, in quibus ob spirituum expansionem & motum velociorem nunc rubor, inprimis faciei, intenditur, in irâ, gaudio &c. nunc ob eorundem concentrationem ac fugam, pallor faciem occupat. Frustra itaque sunt, qui ab externa cuticulæ ac cutis fibrosa textura omnem corporis colorem deducere conantur, fluidum vero sanguinem planè excludunt.

ART. VI.

EX quibus jam satis intelligi potest, quænam ista coloris in Chlorosi defoedatio sit, & quomodo contingat. Omnes enim & inprimis præternaturales colorum mutationes, sive intendantur, sive imminuantur aut depraventur, quæ non externo fuco debentur, unice variæ dictorum succorum, reticularis scilicet & cutanei sanguinis dispositioni variæque tincturæ adscribendæ, quæ vel toti massæ accidit, vel huic illive parti peculiaris est, & nunc ab internis causis, nunc ab externis, ut aëre, producitur. Quod si sulphureæ sanguinis particulæ, liquorum generosiorum usu frequentiori, nimis intendantur & exaltentur, color quoque rubicundus, tum in toto corpore, tum maxime in facie non tantùm intenditur, sed secedentes hinc & restagnantes in subcuticularibus poris acriores partes satis manifesta sui vestigia relinquunt, dum pustulosâ rubedine totum vultum pingunt. Pariter si tota sanguinis massa biliosis excrementis scateat, flavescente ejusdem tincturâ tota cutis superficies imbuitur, ut in ictericis videmus. Eâdem igitur plane ratione color albicans in leucophlegmatiâ, cachexiâ, chlorosi nulli alii causæ, quam sanguinis tum totius, tum cutanei lentæ ac serosæ dispositioni adscribenda est. Uti verò in genere cum dictis vitiis affectus noster convenit, & ab eâdem cum ipsis causâ proxima de-

pendet; ita remotiori ab iisdem in ſpecie diſtinguitur. Illum enim ſolummodo corporis pallorem, aliumve fœdum colorem, chloroſin in definitione diximus, qui virginibus accidere ſolet ob menſtrui ſanguinis fluxum impeditum. Unde in hujus fluxus ſubjectum ſpeciale paucis inquirendum.

ART. VII.

Eſt vero ſubjectum illud UTERUS; pars illa fœminei corporis, ob quam fœminæ dici ſolent, nempe quæ fœtus geſtationi & excluſioni unicè dicata eſt. Hujus partes & conſtitutionem naturalem ex Phyſiologicis & Anatomicis hîc latius non repetemus, id ſaltem notabimus, ad promovendum generationis opus naturam uterum pluribus vaſis ſanguifluis, adeoque majori ſanguinis præ reliquis partibus copiâ inſtruxiſſe, quo fœtus conceptus ac formatus ad ſufficiens robur nutriri poſſit. Sanguinis illa quantitas exuperans ſtatim ab annis pubertatis impletis, quamdiu nullus geſtatur fœtus, ſingulis menſibus excernitur. Cauſas hujus fluxus pluribus indagare præter inſtitutum noſtrum foret, unde ſolum dicimus, ὀργασμῷ quodam naturæ efferri ſingulis menſibus maſſam ſanguineam, adeoque ab auctâ ejus mole oſcula arteriolarum reſerari; ſive iſta turgeſcentia à lunæ motu, ſive aliâ cauſâ procatarcticâ cõtingat. Vid. latius hac de re *Excellentiſſimi Dn. Doct. Præſidis, Patroni ac Præceptoris mei ætatem venerandi, Phyſiolog. Med. ſect. III. c. 29. p. 211.* & *Regn. de Graaf de mulier. organ. cap. 11. p. 124. & ſeq.* Neq; vero quorundam hodiernorum opinio aſſenſum meretur, qui peculiare quoddam fermentum ſulphureo-ſalinum in uteri partibus conſtituunt, à quo bene habente non tantum fluxus menſium legitimus, ſed color quoque faciei in fœminis lætus ac floridus dependeat, malè verò illo affecto, aut deficiente, menſes ſubſiſtant, & faciei defœdatio præſto ſit, uti hanc ſententiam fovet *Williſ. de ferment. c. 5. p. m. 28.* Eandem etiam proponit pluribus rationibus ſtipatam *Cl. Joh. Jacob. Harderus prodrom. phyſiol. c. 9. pag. 148. & ſeqq.* paulò tamen poſt omnibus probè conſideratis & clariſſimi *Peyeri* ſuffultus calculo rejicit. Hoſpitium enim & ſedem iſtius fermenti glandulas uteri eſſe credebant, quas in brutis quidem, menſium tamen

men expertibus, deprehendebant, in humano autem utero, licet curiosissime quærerent, invenire non poterant, prout *c. l.* ex *epistola Peyeri* allegata constare evolventi potest. Utut enim quot viscera, tot fermenta, adeoque etiam utero vis sua immutandi sanguinem deneganda non sit; illa tamen non tam publica est, ita ut unicè menses ab utero dispensentur, quàm privata. Neque hîc de glandulis ejusdem dicendi locus est, licet in non gravidis difficiles repertu fuerint. Satis est nobis, duas generales causas esse mensium restitantium, in utero, seu viis, & extra uterum, in sanguine ipso, & visceribus illum ministerialiter elaborantibus & depurantibus. Sola itaque uteri vasa sanguiflua inprimis arteriosa osculis suis in cavitatem hiantia, quoad uterum, mensium obstructionis subjectum constituunt, quatenus à variis causis vel obstructa, oppleta, vel quocunque tandem modo coarctata sanguini transitum denegant, sed eum restagnare in iisdem, ac ad cor & totum corpus iterum redire, cogunt.

ART. VIII.

COgnito tum symptomatis nostri, tum causæ ejusdem subjecto, causas ipsas lustrare convenit, quæ effectum illum p. n. producunt. PROXIME itaque colorem in partibus fœdum producit, ut ex parte supra dictum est, liquor sanguineus in partibus cutis, inprimis vasculis sanguifluis, restitans, qui, pro variâ suâ constitutione & tincturâ, liquorem etiam subcuticularem inficit, ac totam corporis superficiem tingit. Est verò sanguinis subcuticularis dispositio in chlorosi serosa, lenta & viscida, adeoque in circulo impedita. Cum enim in tota reliqua massa, à causis post recensendis, serum nimis congestum sit, & quantitate peccet, in subcutaneis quoque partibus copiosius, quam par est, cumulabitur, ut sulphureæ partes obvolutæ sui vestigia colore vivido in cute non amplius exhibere possint. Et ob hanc nimiam copiam motum quoque circularem tardiorem contingere necesse est, quam statim crassities, cohæsio, viscositas comitatur, ut non tam prompte per canales sanguiferos, inprimis in extremitate corporis, trajici possit. Sicuti enim legitimâ sanguinis circumrotatione

& in corde facta conquassatione sulphureæ particulæ magis evolvuntur, exaltantur, & reliquæ omnes attenuantur; ita illâ quovis modo tardatâ aut imminutâ, hæ subjugantur, reliquæ coeunt, crassescunt, maxime in locis, à caloris fonte remotioribus, & ubi sanguinis motus localis ordinariè minor ob vasorum angustiam esse solet. In glandulis ergo subcutaneis æque ac vasis cutis capillaribus coagulata quasi subsistit serosa massa, lentorem majorem contrahit, suique colorem in superficie exhibet, sublato priori vegeto & florido. Non aliter ferè ac in demortuis cernimus, quibus ob utrumque sanguinis motum cessantem, spiritusque omnes deficientes & abactos, pallor proprius est. Cum vero non solum pallor, sed viror quoque, livor, aliique fœdi colores sæpius appareant, horum quoque causam facile indagare licebit. Serum enim salium in corpore fluitantium continuum est vehiculum, unde hoc corrupto illa quoque varie vitiari, & pro varia natura, sulphuris adhuc præsentis texturam immutare possunt. Sic acidum seroso coagulo conjunctum livoris, bilis autem tum ab eodem acido, tum alio salino principio corrupta, viroris aliorumque vitiosorum colorum causa existit, quando nempe tincturâ haccе suâ reticularem succum imbuat. Quid vero spirituum animalium defectus, qui chlorosi ob vitales spiritus suppressos ac deficientes jungi solet, & ex virium languore patet, huc conferat, ex supra dictis satis judicari potest.

ART. IX.

EXposita proximâ causâ ad REMOTIOREM progrediendum, quam in superioribus ipsaque definitione constituimus mensium suppressionem. Hæc enim est, quæ toti sanguinis massæ vitiosam istam dispositionem inducit. Sanguis quippe fœminarum serosior esse solet, unde singulis mensibus excernitur, quo menstruo fluxu suppresso seri copia nimis augetur, & quæ jam ante respective pauciores aderant salinæ volatiles ac sulphureæ particulæ ulterius ab aqueis supprimuntur, motus uterque, intestinus ac circularis, imminuitur, totaque massa vappescit ac corrumpitur. Et hanc ob causam reliqua quoque infimi ventris viscera vitium patiuntur

tiuntur

fiuntur in chlorosi, *hepar* inprimis, *lien*, *pancreas*, glandulæque meſentericæ & plurimæ aliæ, ob reſtagnantem & coacervatum in ipſis ſanguinem crudiorem, vappidum, obſtructionum plurimarum autorem. Quæ tamen vitia ſeu viſcerũ κάκωσις modò cauſæ vicem ſubit, altero caſu menſium ſuppreſſionis, quando ipſorum culpa ὀργασμὸν ſuum debitum ſanguis non ſubit; modo comites ſunt ac ſocii coloris vitioſi in habitu corporis, ab eodem principio producti. Hinc virginibus cachecticis febrique albâ laborantibus ut reliquo earum corpori, ita jecori etiam pallidus inhæret color, penuriæ ſanguinis in corpore manifeſtum indicium, verbis *Harvæi ex. 50. p. 154.* Generalior, nec inepta, ſi recte interpreteris, illorum eſt ſententia, qui ab intemperie frigidâ in genere virgineum morbum deducunt. Hæc enim cum non partes tantum quaſdam, elaborantes vel recipientes, ſed utraſque & totam unà ſanguinis maſſam concernat, nihil poteſt notare aliud, quam partium ſeroſarum, aquearum, adeoque inertium & frigidarum abundantiam, volatilium autem ſulphurearum & ſalinarum defectum, à quo hinc caloris defectus & frigoris ſenſus tactui occurrens oritur. Et eò citiùs inquinatio iſta liquoris vitalis contingit ac deprehenditur in corporum extremis, quo exactior ejusdem eſt mixtura ac proportio, id quod in pulchrioribus videre eſt, in quibus, dicente *Mercato*, præ cæteris omnium maxime fœdi colores obſervari ſolent.

ART. X.

ULterius autem inquirendum nunc erit, quidnam obſtructionem menſium illam efficere poſſit, à qua hinc chloroſis dependeat. Ubi ſtatim notandum, cauſas obſtructionis ejus magis poſitivas huc ſpectare, privativas verò minus, præterquam remotè, quatenus depauperatus undecunque ſanguis ὀργασμὸν hinc recipere non æquè poteſt; unde in chloroſi magis copiam humorum deprehendimus. Quamvis enim à nimiâ profuſione ſanguinis, per hæmorrhagias ipſosque menſes immodicos pallor talismodi oriatur; ille tamen propriè chloroſis non eſt, aliamque expoſcit curationem. Neque obſtat, videri poſſe inde ruborem potius in corpus debere redundare, quando obſtructis menſibus

ſanguis cumulatur; non enim ſibi relinquitur tunc ſanguis, ſed conſpurcatur, figitur, ſpiſſeſcit, adeoque à naturâ ſuâ abit. Confer. *Ranchin. de morb. virgin. ſ. 3. c. 2. pag. 381.* Supprimuntur verò ſeu obſtruuntur menſes, ſive nunquam adhuc fluxerint, ſive fluxus hactenus ordinarius ſubſiſtat, à cauſis poſitivis duplicis generis, quarum altera, ut diximus, in ſanguinis maſſa latitat, altera vero in ipſa uteri ſubſtantia exiſtit, utraque vero viarum, per quas excerni ſolent menſes, legitimam conſtitutionem vitiat ac lædit.

ART. XI.

QUæ in ſanguine latitat cauſa, ſunt partes ejusdem groſſiores, craſſiores, terreæ, tartareæ, quocunque tandem modo in ipſo generatæ, vel eò traductæ, quæ craſſitie ſua & mole vaſorum circa uterum anguſtias replent ac referciunt, quo minus reliquæ liquidæ ex oſcillis in uterum depluere poſſint. Originem vero ſuam dictæ obſtruentes particulæ tum internis viſcerum læſionibus, tum externis potiſſimum cauſis utrisque velificantibus debent, erroribus ſcilicet in SEX REBUS NONNATURALIBUS commiſſis, quorum mentionem brevibus facere non de nihilo erit. Sic AER tum frigidus, tum humidus ſimul, ſæpius iisdem anſam præbet, ſive quiete ſolummodo in corpora ſubjecta agere credatur, ut nonnulli hodiernorum Philoſophorum volunt; ſive poſitivo quodam ſale nitroſo aut ammoniacali polleat, ut aliis placet. Si enim prius, nimia iſta aeris preſſura motum ſanguinis utrumque maxime impedire poteſt, & craſſities ac cohæſio partium ſanguinis prompte conſequentur; ſin poſterius, acido iſto aeris occulto ſanguis non poteſt non coagulari & in grumos præcipitari, ut ab omni acido alio toto die contingere videmus. Efficere autem illud valet aer frigidus tum inſpiratione in pulmones & conſortium ſanguinis admiſſus, tum corpori circumfuſus porisque illapſus, ubi ſanguinem ſubcuticularem eò citius afficere & alterare poteſt. Huc referendæ lotiones linteaminum aliæque ex aqua frigida, immiſſio pedum in frigidam; inprimis inſtante vel durante menſium fluxu. Nihil porro magis partes craſſiores in ſanguine generat, quam CIBI AC POTUS ſeu potius in genere aſſumtorum vitia; qualis enim chylus ex aſ-

ſumtis

ſumtis in primis viis confit; talis hinc ſanguis in corde ut emergat neceſſe eſt. Sic cibi crudiores, craſſiores, coctuque difficiliores, quales ſunt fumo induratæ carnes, piſces groſſiores, marini, muriâ conditi vel exſiccati, item humidiores, frigidiores, facileque putreſcibiles, maxime accuſandi, qui ventriculo negotium faceſſentes non reſolvuntur ſufficienter, ſed crudior indigeſtaque moles in ſanguinem transfertur. Par ratio eſt viſcidorum omnium & irreſolubilium, non rite fermentati panis, placentarum à furno adhuc calentium, ſimiliumque eduliorum; nec minus humiditate nimia laborantium corruptibilium fructuum horariorum, melonum, cucumerum & inprimis lacticiniorum. Quo ſpectant ea quæ virtute ſtypticâ pollent, meſpila, ſorba, caſtaneæ ipſaque medicamenta adſtringentia incautius uſurpata. Quin virguncularum quarundam abſurdus appetitus, his nondum contentus, alia abſurda & eſui aliàs minus apta arcesſit, quo cruditates cumulet, qualia ſunt calx, creta, frumentum crudum, pluraque alia, quibus albicantem coloremformæque adeo gratiam conciliari poſſe ineptè ſibi perſuadent, unde ſtultæ dum vitant vitia, in contraria currunt. Vid. *Ranchin. l. c. p. 385.* Inprimis vero huc pertinent acida & ex iis parata omnia acetaria, quibus præter modum ſæpe delectari ſolent virgines. Acida quippe ſanguini admixta eundem promptisſime coagulant & in grumos cogunt, quo facto in ductibus ſanguifluis viſcerum ſubſiſtere cogitur. Neque alius effectus oritur ab aquæ frigidæ potu, quô fœmellis nihil nocentius aut ſiſtendo menſium profluvio aptius eſt, teſte *Joh. Lang. ep. 51. lib. 2.* MOTUS quoque corporis tum excedens tum deficiens, ſeu QVIES nimia ad generationem crudioris ſanguinis plurimum confert. Maximè autem motus nimius noxius eſt, ſi à paſtu inſtituatur, & chylus crudus in vaſa chylifera urgeatur, quod in choreis ducendis virginibus ſolemne eſſe conſuevit, unde & ab ejusmodi ſaltationibus ſæpius ſtatim menſtrui fluxus defectum ſentiunt. Quies vero nimia, vitaq; deſes ac otioſa, cumulando omnis generis excrementa, per motum tempeſtivum aliàs diſcuti ſolita, crudiorem ac vappidum reddit ſanguinem, obſtructionibus generandis aptisſimum. Idem de SOMNO longiori eſto judicium, quô nihil magis in corpore auget colluviem in coagulum.

gulum.

gulum. AFFECTUUM tandem ANIMI in ſiſtendis menſibus vis maxima eſt, præcipue illorum qui ſpiritus animales concentrando, ſanguinis circulum turbant, & adeo motum ejus à circumferentia ad centrum procurant, ut terror, metus, mœror &c. Non ſemel enim obſervatum eſt, fluentes menſes inopinato terrore incuſſo ſtatim ſubſtitiſſe.

ART. XII.

IN ipsâ vero uteri ſubſtantiâ quæ latitant obſtructionum cauſæ, ſunt vaſorum & pororum circa uterum indiſpoſitiones variæ. Sic quandoque in juvenculis, quæ nunquam adhuc menſes expertæ ſunt, vaſa p. n. ſunt occluſa, ut exitum licet affectet, non invenire tamen posſit ſanguis, ſed regurgitare cogatur. Et hæc cauſa ſine dubio eſt, cur primis pubertatis annis ſæpius affectu noſtro laborent virgunculæ, antequam ſanguis ſibi viam paraverit, quâ libere exire poſſit, ſtato tempore. In aliis morbi uteri alii, ut ſcirrhi, tubercula, tumores, pororumque nimia ſtrictura in cauſa eſt, cur excerni non poſſint menſtrua. Hæc autem vel naturaliter adſunt ab internis cauſis producta, vel externis erroribus originem debent. Balneis enim adſtrictoriis, quâ virginitatem ſibi conciliare defloratæ ſtudent, injectionibus, aere frigidiori improvide admiſſo, talis vaſorum & pororum conſtrictio prompte excitari poteſt. Huc ſpectat etiam ipſa oris uteri interioris & vaginæ præternaturalis occluſio, ſive ab ortu adfuerit in atretis, ſive quibuscunque de cauſis, vulnere, ulcere, lacerationibus inducta.

ART. XIII.

SIGNA porro memoranda veniunt, quibus chloroſeos præſentia indicatur, quibusque ab aliis congeneribus affectibus dignoſci poteſt. Hæc vero ſunt ſymptomata plura ipſam comitantia, quæ tum ægris, tum medico in ſenſus incurrunt, ſive actiones vitales ac animales lædantur, ſive excreta vitio laborent, ſive denique qualitates ſenſibiles à ſtatu naturali alienæ deprehendantur. Licet enim color ipſe faciei labiorumq; ſupra dictus vitioſus ac mutatus, nunc pallidus, nunc ſubflavus aut virideſcens, ſatis ſe ipſum manifeſtet; alia tamen ſimul

ſimul perpendenda quæ ipſi conjungi ſolent, eorumque ratio reddenda. Sunt verò hæcce, ex recenſione *Ludov. Mercati de affect. Mul c.6. lib 2. Roder. à Caſtr. de morb. mulier. l.2. c.5. pag. 207. & ſeqq. Sennert. l.4. part.2 ſect.3. c.2.* aliorumque practicorum, ſequentia. *Faciei ac palpebrarum tumor* adeſt, à copioſiori ſanguine ſeroſo, in tenerioribus hiſce partibus reſtagnante, productus, quod eò facilius contingit, quo magis illæ externis aeris frigidioris injuriis expoſitæ ſunt. Idem *tumor in extremis artuum, cruribus, pedibus, circa malleolos* præprimis, obſervatur, ob ſanguinis lymphæque refluum ad ſuperiora motum prohibitum, tum ob craſſitiem & viſciditatem, tum pulſus cordis debilitatem, cujus robore aliàs in venis etiam ſanguis urgeri ad principium ſuum ſolet. Quin ex eâdem causâ totum corpus laxius & ſubtumidum ſæpius evadit, quam tenſiva laſſitudo comitatur. *Reſpiratio* quoque maxime læditur & *difficulter procedit*, fortius paulo moto corpore & aſcenſu locorum accliviorum, ut ſcalarum, & *palpitatio cordis* ſimul adeſt. Aucto enim, per motum corporis, cordis motu & circulatione, ſanguinis maſſa crudior, viſcoſa ac cohærens, tam promptè per pulmonum minutiſſima vaſcula trajici non poteſt, ſed in illis ſubſiſtit, veſiculasque pulmonales comprimit, ut ſufficiens aeris quantitas admitti nequeat. In ventriculis autem, inprimis dextro, tum ob craſſitiem & lymphæ refluæ acorem, tum tardiorem per pulmones motum ſanguis facilè grumeſcentiam patitur, unde oppreſſum hoc modo cor, ab onere & moleſtiâ ſeſe liberare ſtudens, crebriores pulſus inſtituit ac palpitat. Sin fortior adſit grumeſcentia, *lipothymia* quoque loco palpitationis ingruere facilè poteſt. Iidem liquores vitales quoque, ſanguis ac ſerum, viſcoſiores, craſſiores, in capitis partibus externis & internis moras nectentes, vaſa ac membranas diſtendere & *cephalalgiam* inducere apti ſunt. Quod verò *febrilem ſtatum* conjunctum attinet, unde & febris nomen, quod ſuperius diximus, imponitur vulgò, id eatenus locum omninò habet, quatenus, confirmato inprimis malo, ob cumulatas in maſsâ ſanguineâ partes recrementoſas, pituitoſas & bilioſas, vitioſa fit rarefactio, adeoque febris lenta, vel hectica, cum pulſu frequenti accedit. De eſſentiâ verò morbi febrem eſſe omninò negamus. *Triſtitiam* quoque &

animi defectionem à lymphæ & ſpirituum animalium fixatione oriri non infrequens eſt, quæ ſucceſſu temporis in melancholiam terminare poſſunt. Primarum quoque viarum vitia ſtatim in affectu noſtro præſto ſunt, *ciborum faſtidium, ructus, nauſea* & *vomitus*, quæ ob depravatum & corruptum menſtruum ventriculi ordinariè menſium ſuppreſſionem ſequi ſolent. Quæ omnia in diæta commiſſi errores & hinc productæ chylificationis læſiones maxime augere poſſunt, cumulando in ventriculo inteſtinisque vitioſos humores. Huc *hypochondriorum tenſiones* ac *dolores* ſpectant ab acribus ejusmodi ſuccis membranis infixis, viſcerumque interaneorum, hepatis, lienis, infarctu producti. *Urina* quoque *tenuis* & *aquea* eſt in chloroſi, ob retentionem particularum terrearum, craſſiorum in viſcerum culinis, quæ aliàs per renes ſecerni ſolebant, & urinæ contenta conſtituebant. Et hæc omnia tandem *cum menſium defectu* accidunt, quo ſolo chloroſis à cachexia tanquam ſpecies à genere diſtingui poteſt, reliqua enim ſymptomata omnia in hâc æque ac illa contingunt, à diverſis licet cauſis producta,

ART. XIV.

AD PROGNOSTICA affectus noſtri ſigna quod attinet, levis ille quidem prima fronte apparet, periculum tamen non leve in receſſu gerit, cum ſuppreſſionem menſium diuturnam ac graviorem utplurimum ſupponat, quam reliquorum viſcerum, hepatis, lienis, obſtructiones, ſcirrhi, aliique morbi, vel fovent, vel prompte conſequuntur. Verbo, Chloroſis æque ac cachexia in genere via eſt ad hydropem. Principia enim vitalia ſenſim atteruntur & calor nativus paulatim extinguitur. Quin ſi vera ſunt, quæ Autores practici ferè omnes memorant, quandoque corde nimis oppreſſo mors ſubita accidit. Id quod tamen alio modo contingere vix poteſt, quam ſi in cordis ventriculis forſan generatus polypus ſubitò abrumpatur, & ſuffocationem inducat. Generari verò hunc ab ejuſmodi ſanguine viſcoſo in virginibus, diutinâ menſium obſtructione laborantibus, obſervationibus ſingularibus confirmat *Malpighius diſſ. de polypo cord. p. m. 268*. Ubi ſimul notat, non in corde tantum fibroſum ejusmodi coagulum ſeu polypum repertum,

ſed pancreas quoque cœterasque per abdomen & thoracem diſperſas glandulas, ex turgente concretâque materiâ, inſignes & duriores redditas fuiſſe, quæ ſuperius dicta ulterius obiter confirmare poterunt. Sæpe diutius durans chloroſis ſterilitatem inducit, vel ſi viro tali ſtatu junctæ, pariant fœmellæ, aut in partu periclitantur, aut fœtum imbecillem raroque diu vitalem edunt. Quod TEMPUS EVENTUS concernit, diuturnus utplurimum eſſe ſolet, præſertim ſi reliquorum viſcerum obſtructiones conjungantur, vel cauſæ menſium ſuppreſſionis ab uteri malâ conſtitutione dependeant. Sin ab aliis cauſis ſupra adductis ſoloque vaſorum circa uterum infarctu, nec adeò diuturno productus ſit, commodis adhibitis remediis non adeò difficulter cedit. Longitudinem hanc moderantur quoque ſymptomata alia conjuncta, prout iſta graviora & plura, aut leviora ac parciora adſunt. EVENTUS MODUS ad ſalutem eſt, ſi ſenſim ſymptomata remittant & menſium profluvium ordinarias periodos repetere incipiat. Siniſter vero eventus timendus, ſi pertinaces aliæ obſtructiones adfuerint, & vel hydrops preſſo ſequatur pede, aut polypi indicia appareant, ut ex antecedentibus clarum eſt, vel phthiſis conſequatur, à quâ evadendi nulla ſpes eſt, niſi, præter alia ſigna bona, menſes ſplendidè ac purè, id eſt, ad naturæ priſtinum modum, appareant, teſte *Hippocrate l.2. prædictor. c. 13. t. 6. & 7.*

ART. XV.

CURATIO tandem affectus noſtri adjungenda, quò ipſi citò, tuto ac jucunde ſuccurri queat. Fieri verò illud commodius non poteſt quam ſi METHODO conſvetâ utamur, innixâ INDICATIONE tum CURATORIA, quâ primaria læſio cauſæque illam maxime foventes tolluntur; tum PRÆSERVATORIA, quâ cauſarum illarum generatio ulterior præcavetur; inſimulque, quæ VITALIS eſt, vires tum vitales, tum animales roborantur. Hoc modo enim ſuperflua illa ſeri copia in toto corpore reſtagnans non tantùm alterabitur & evacuabitur, ſed menſium quoque obſtructione commodè reſerata, viſceribus tonus debitus ac vigor priſtinus reſtituetur. Scopis hiſce inſerviunt auxilia ex tribus uſi-

statis ac notis fontibus desumenda. Ex CHIRURGIA se sistit primò VÆNÆ SECTIO, de quâ dubium non leve agitatur, an in nostro affectu in usum vocari queat, nec ne. Ab unâ enim parte illam svadet evacuatio per menses suppressa, quæ nullo promptiori auxilio curari potest, quam sanguinis missione. Contra ea verò prohibere eandem videtur cachexia conjuncta, & particularum oleosarum ac balsamicarum defectus, quæ ulteriorem illarum depauperationem omninò dissuadent. Uti verò semper potioris habenda ratio est, in chlorosi vero omnis cachexia à mensium suppressione dependeat, nec, nisi illâ ablatâ, commode tolli possit; ita quoque in ejus curatione venæ sectio omnino locum habere potest, imò debet. Mensibus enim suppressis, vel non ritè fluentibus nullum sub sole utilius est remedium, teste *Excell. Dn. D. Præs. Diss. de Venæ sect. c 3.* Non tamen illud contraindicans plane negligendum est, sed simul respiciendum, unde eodem autore *l.c. cap. 2.* parcior esse debet V.S. in fœminis decoloribus. Præterea etiam illam permittunt vires, si nondum sunt exhaustæ, sed, ut fieri solet, magis oppressæ quam resolutæ. Tempus quoque eandem moderari potest; si enim menses non adeo diu obstructi fuerint, viriumque minor debilitas, circa curationis principium statim in usum vocari potest; sin cachexia majori gradu adfuerit & V.S. impedire queat, post aperientium, mox dicendorum, usum, alteratâque prius sanguinis massâ, illa institui demum potest. Secatur verò commode vena in inferioribus partibus, in saphæna, tum in uno pede, tum utroque, ut eò citius ac copiosius uterum versus derivetur sanguis, & oscula obstructa perrumpat. Huc spectant quoque FONTICULI, quorum usus in imminuenda seri quantitate nimia est laudatissimus. Possunt hi applicari partibus crurum domesticis, ubi simul menses provocare observantur. Cavendum tamen ab eorum usu, si tumor pedum major conjungatur. FRICTIONES quoque cutis lenes ex hoc fonte suadentur ad aperiendos cutis poros dissipandumque serum restagnans, quod calore exsuscitato transpiratione que adauctâ præstare satis possunt.

ART. XVI.

EX PHARMACIA porro indicationibus dictis plura nobilissima usuque commendata remedia satisfacere possunt. Inter illa verò primum locum meritò occupant, quæ generatim aperientia vocantur, &, ut cum sæpius laudato *Excell. Dn. D. Præsid.* loquar, *Tract. de Facult. Med. l. 5. sect. 2. c. 3. p. 43. & seqq.* tàm particulis acutis, penetrantibus, volatilibus, motum humoribus fixis procurant & vias aperiunt; tum fixis terrestribus, coaguli humores figentis causam, particulas acidas, ponticas, absorbent, imbibunt & humores adeò quasi edulcant, unde in alveis suis non restagnant, sed promte eunt ac redeunt, circulantur & excernuntur. Hoc modo enim & viscositas restagnantis sanguinis ac lymphæ tollitur, partes grossiores, terreæ, ♀eæ comminuuntur, & vasa tum viscerum infimi ventris reliqua, tum inprimis uteri ab infarctu liberantur. Talia vero sunt, ex simplicium vegetabilium classe, radicum & herbarum ingens farrago, inter quas primas tenent *rad. ari, acori, cichor. rub. tinct. herb. absinth. cent. min. marrub.* & plantæ antiscorbuticæ vulgo dictæ, *cochlear. hepat. nob. trifol. fibr. rosmar.* Ex præparatis & compositis *essent. absinth. simpl. & compos. fumar. lign. elix. P.P. simpl. & antiscorb. D.D. Præs.* ⊖✱ci, *cochlear.* ⊖*lis* ♀*i*, ℞ ♀, ℞ ♄*ii cum alcali volat. parata Ludov. Cryst all.* ♀*i, lap.* ♋. ⊖*lia herbar. fixa, absinth. centaur. min. &c. arcan. dupl.* ⦶ ♄*at.* ⊖*ia item volatilia rutæ, succini.* Inprimis verò huc spectant ♂lia, quæ à *Mercato* quoque, *Roderic. à Castro* & aliis in nostro affectu mirum quantum commendantur, & à recentioribus merito aperientium apex dicuntur. Ejusmodi sunt *limatura* ♂ in substantiâ, *croci* ♂*is varii, niger,* ⊕*latus, saccharinus,* ⊕*l.* ♂*is,* ℞ ♂*is pomata, cydoniata, essent.* ⊕*l.* ♂*is Excell. D. D. Præs. Zwelffer. Essent.* ⊕*li* ♂ ♀*sat. Ludovic.* ♄ ♂*le cachect. bez.* ♂*le*, & ex his parata composita magistralia *pulv. cachect. Q. species diacurcum.* &c. ut & ex tempore miscenda ac componenda, e.g.

℞. *rad. acor. cichor. galang. chin.* ā. ℥iij.
herb. fumar. hepat. nob. meliss. rosmarin. a. mß.
summ. cent. min. absinth. pont. a. piij.

flor. 4. cordial. calend. a. pij.
caryoph. arom. cost. ver. a. ℥ß.
lim.♂ magnes. ℥j. *cryst all.* ♀ ℥ß. Conc. Contus. g.m. M.D. ad chartam. S. Species in Wein.

℞. R ♂ *cydoniat.* ℥ij. *essent. absinth. compos.* ℥j. M. D. in vitro S. Oeffnende Tinctur.

℞. *essent.* ⊕*l.*♂ *Dn. D. Præs.* ℥iß. *essent. lignor compos.* ℥j. ☍ *caryoph.* gtt. iij. M. D. in vitro. s. u. s.

℞. *elix. propr. antiscorb.* ℥ij. ⊖ *✱ci* ℥ß. M.

℞. *pulv. stomach.* *Q.* ℥j. *croc.* ♂ ⊕*lat.* ℥ß. ♁ *diaph.* ℈j. ☍ *cinam.* gtt. ij. M. fiat pulv. pro 4. dos. S. Stärck- und eröffnend Pülverlein.

℞. *rad. ari ppt.* ℈ij. *croc.* ♂ ♆*at.* ℥ß. ♁ ♂*lis cachect. cinnab. nat.* a. ℈j. *elæosacch. citri* ℈ß. M. F. Pulvis.

℞. *lap.* ♋ *ppt. cryst all.* ♀ a. ℈ij. *arcan. dupl.* ⊖ *cent. min.* a. ℈j. M. F. Pulvis.

Sic laudatur etiam vinum malvaticum, in quo ♂ ignitus sæpius extinctus est, item *essentia* ♂ *cum vino malvatico Hartmanni, vinum* ♂*le Poterii*, quod describit *pharmacop. Spagir. l. 1. s. 3. pag. 335. acidulæ artificiales Willisii* ex ♂*te* & ♀*o* invicem coctis, post filtrationem inspissato liquore. Hæc & similia primarum quoque viarum vitia & chylificationem læsam corrigunt ac emendant, absorbendo acorem & humiditatem nimiam, roborandoque nervos ac spiritus.

ART. XVI.

NEque verò alterari solùm debent serosi humores restagnantes, viscositas & coagulum tolli ac grossities partium comminui; sed evacuandi quoque sunt quodammodo correcti & ad exitum dispositi. Eliminantur verò, non per unam solummodo viam, sed plures pro diversis corporis regionibus. Prima evacuatio est per primas vias tam *ἄνω* per os, quam *κάτω* per alvum. Per os evacuant VOMITORIA, quæ irritando ventriculi fibras non solùm pituitam lentam circa ventriculum hærentem extur-

exturbant, sed & ex reliquis visceribus peccantes humores eò alliciunt. Exhiberi hoc sine commode possunt ♁ta, quæ omnium optima & maximè fida sunt vomitoria, e. gr. ♀ *emet. oxysacchar. emet. Ludovic.* aliaque, v. g.

℞. ♀ *emet.* gr. ij. *elæosacch. anis.* ℈ß. M.

℞. *oxysacch. emet. Lud.* ʒij. *sirup. de artemis.* ʒiß. M. F. Haustus. S. Brech-Tränklein.

Cavendus tamen eorum usus est in iis, quæ debiliores sunt, ad vomitum non adeò dispositæ, aut in quibus respiratio difficilior vel pulmonum vitia alia adsunt. Per inferiora educunt humores serosos PURGANTIA κατ' ἐξοχὴν ita dicta, quæ simul obstructiones vasorum, si quid aliud, expediunt & in nostro hinc affectu apprime conducunt. Hæc autem vel pro una vice exhibentur, vel successivè, repetitis vicibus & per ἐπίκρασιν evacuatio instituitur, quod in morbis lentis ac chronicis ex usu maximè esse solet. Laudem hoc nomine merentur aloetica, tum sola, in extracto & pilulis minoribus inde paratis, per vices cum ante dictis aperientibus præbita, tum cum aliis ♀eis, uterinis, ipsisque martialibus mixta; e. g.

℞. MP ♀ *ear. Schröd. marocostin. Mind.* a. ℈j. *croc.* ♂ ⊕ *lat.* gr. xviij. *castor. ppt.* ℈ß. cum *elix. P. P.* F. l. a. pilul. N. XL. S. Lind-Pillen auf 2mahl.

℞. *extr. panchym. Croll. splen. bov.* a. ℈ß. MP. *pestil. Ruff.* gr. xij. *magist. scammon.* gr. vj. ⚯ *succin.* gtt. j. *cum* ℞æ ♀*ri* q. s. fiant pilul. XXIV. D. in pyxid. S. Purgier-Pillen auf 1mahl.

℞. *pulv. laxat. veget.* ℈j. *resin. scam.* gr. v. ♁ *diaph. non edulc.* gr. vj. ⚯ *anis.* gtt. j. M. F. Pulvis.

Huc etiam spectat ☿ *dulcis*, qui omnium maxime serum glutinosum ac viscidum liquat ac evacuat, unde reliquis inprimis pilulari forma addi commodè potest. *Infusa* purgantia ex superius recensitis radicibus & herbis aperientibus, aliisque facile addendis, cum *rhabarbaro, senna, mechoacanna, fibr. helleb. nigri*, additis simul uterinis, nullo negotio confieri queunt. Ex vasis sanguifluis proximius serum copiosius restagnans & superfluum per renes evacuant DIURETICA, quæ eò magis nostro in affectu laudanda, quò magis si-

mul

mul particulas iſtas in ſanguine peccantes invertunt, abſorbent & præcipitant. Ex horum claſſe ſunt ⊖*ia*, ſupra expoſita, *onon. juniperi, artemiſ. arcan. dupl.* ♀*rus* ♀*ſatus Ludov.* ♀ ⊕*lat.* R ♀ *ſimpl. & compoſ.* R*ſilic. Glaub. arcan.* ♀, *eſſent. ſuccin. malvat. juniperinum* &c.

℞. *lap.* ♋, ♀ ⊕*lat.* ⊖ *artemiſ.* a. ℈j. M. F. pulvis.

℞. *eſſent. ſuccin.* R*æ* ♀ *compoſ.* a. ʒj. M. S.

Oeffnende Eſſentz.

Per cutem tandem, glandulas ejus & vaſcula excretoria, diſcutitur & evacuatur ſerum beneficio SUDORIFERORUM, quæ ideo maxime in chloroſi laborantibus commendanda, quod cauſam proximam, in vaſculis & glandulis ſubcutaneis hærentem, ſanguinem ſeroſum, immediate eliminent, dictasque cutaneas partes ad naturalem ſtatum reducant. Talia ſunt tum volatiliora R. *bez. Exc. D. D. Præſ. Mich. Ludov.* ∽ *ſambuci*, ∽ ♀ *theriacal. ſimpl. & camphoratus, miſt. ſimpl.* tum fixa, *C. C. philoſ. uſtum*, ♁ *diaph. bezoard.* ♂*le*, ♁ ♂*le cachect. unicornu foſſ. cinnab. nativ. &* ♁*ata &c.* ex quibus formulæ variæ confici facile queunt; e. g.

℞. *aq. ſambuc. typh. C. C.* a. ℥iß. ∽ ♀ ʒß.
malvat. ſambuc. ʒij. M. F. potio. S. Schwitzträncklein.

℞. R *bezoard. Dn. D. Præſ. eſſ. lign.* a. ʒj. M.

℞. *C. C. phil.* ♁ ♂*lis cachect. cinab. nativ.* a. ℈j.
M. F. pulvis,

ART. XVII.

PRopoſitis hactenus evacuantibus addenda denique ſunt illa medicamenta, quæ menſium profluvium majori ἐνεργείᾳ procurant, illosque fortius pellunt, emmenagoga hinc in ſpecie dicta. Sunt vero hæc ejusmodi, quæ particulas volatiles ⊖nas △reas in maſſâ ſanguineâ magis augent, & motum utrumque fortiorem reddunt. Dum enim legitimus ὀργασμὸς ſanguini reſtituitur, & rapidius ille circumpellitur, promptius clauſa arteriolarum oſcula perrumpit & exitum invenit. Hujus generis ſunt ∘°∘ſa volatilia varia, *galanga, zedoaria, ruta, roſmarin, puleg. ſabina, crocus, myrrha, antophylli, eſſent. croc. myrrh. balſam. camphoræ*

phora concentratior, castor. succin. elix. uterin. D. D. Præs. Croll. Ludov. ℅ *succ. rutæ, sabin. angelic. caryoph. cinamom.* ⊖*ia volatilia* ℅*sa* ex dictis ℅eis parata, vel sibi etiam relicta, ⁓ ⊖✳*ci, liq. C.C. succinat. trochisc. de myrrha, species diaborrac. Myns.* similiaque alia variè mixta ac composita. e. g.

℞. *elix. uterin. Dn. D. Præs.* ℞*æ bez. volat.* a. ʒiß.
℅ *cinnamom.* gtt. ij. M. D. in vitro S. Stärck-Mixtur.

℞. *essent. myrrh.* ʒij. ⁓ ⊖ ✳*ci castorin.* ʒj.
essent. camph. Ludov. ℈j. M. S. Mutter-Tinctur.

℞. *liq. C. C. succin.* ʒiß. ℞*æ corall. volat.* ʒij.
℅ *macis* gtt. iij. M.

℞. *spec. diaborrac. Myns.* ʒj. *troch. de myrrh.* ℈j.
⊖ *volat. rut.* ℈ß. M. F. pulvis. S. öffnend Pulver.

℞. ▽ *meliss. puleg.* a. ℥ij. *cinamom. c. v.* ℥iß.
⊖ *volat. oleos. Sylv.* ʒj. *elix. hyster. Ludov.* ʒß.
M. F. Potio. S. Mutterträncklein.

Uti vero dictis hactenus medicamentis priori mensium obstructionis causæ, infarctui nempe vasorum, tum uteri, tum reliquorum viscerum, à particulis sanguinis crassioribus, succurri, & deficiens liquoris vitalis fermentatio ac tonus restitui poterit; ita alia quoque subjicienda sunt, quæ posteriorem, vasorum circa ostia indispositionem, quoad fieri potest, tollunt. Hujusmodi autem sunt externa tum toti ventri infimo, tum genitalibus partibus applicata, in uterum admissa. Laudantur hoc fine *balnea* ex *emollientibus, aperientibus* communibus, & specialibus *uterinis*, ipsisque *purgantibus* parata. Hæc enim per cutis spiracula ipsaque pudenda ad uterum penetrando ejus poros condensatos rariores reddunt, & oscula particulis suis blande humectantibus calidis aperiunt. Materiam eorum sequentia & similia præbebunt: *rad. alth. lil. alb. bryon. rub. tinctor. aristoloch. utriusq., levistic. herb 5 emoll. verbasc. chamæm. puleg. artemis. rosmar. meliss. matricar. sabin. sem. lin. fœn. Græc. cucum. asinini* &c. Nec semel tantum, sed repetitis ex ordine vicibus balnea hæc institui poterunt; juncto subinde internorum aperientium & emmenagogorum dictorum usu. Parem cum balneis effectum præstant *suffimenta* & *vapores*, ad uterum per tri-

torium, vel tubulos uterinos, derivati, quo spectant suffimenta de *sabina Mynſ.* & *Timæanum ex colocynth.* it. *de ſcoriis regul.* ♁ii, vapor ex ⊖*e* ✱*co* additione alcali fixi excitatus, ex commendatione *Glauberi,* quamvis experientiâ *B. Ludovici* paucæ inveniantur fœminæ, quæ ad naſcalia ejuſmodi rite depuduerint, *Pharmac. modern. diſſ. 1. pag. 311.* Huc atretarum, & quæ à vulnere aut ulcere coalitionem vaginæ paſſæ ſunt, ſectiones chirurgicæ referendæ ſunt.

ART. XIIX.

Hisce ex Chirurgiâ pariter ac Pharmaciâ propoſitis auxiliis vix quicquam effici poteſt, niſi ipſis accedat commoda & conveniens DIÆTA quæ in juſto ſex rerum non naturalium regimine conſiſtit. Sit itaque AER, in quo chloroſi laborantes degant, purus, calidus, ſiccus, vitetur frigidus, humidus, nebuloſus aliisve inquinamentis repletus. Abſtineant à tractatione aquarum inprimis frigidarum, lotionibus, ſimilibusve operis. ALIMENTIS utantur calidioribus, cibis coctu facilibus, aromatibus conditis, citra tamen exceſſum. Vini POTUS licet à Veteribus, nominatim *Platone,* Romanisque Legislatoribus tum pueris tum fœmellis & virginibus omnino interdictus fuerit, noſtris tamen ægris, teſte *Langio ep. 51. l. 2.* non denegandus, tam ad coctionem facilitandam, quam vigorem ſanguinis recuperandum. Cereviſia ſit defecata, calidior, non triticea ſed hordeacea, lupulo quin & herbis convenientibus probe medicata. Vitandus omnis potus frigidus, inprimis frigidæ. MOTU tempeſtivo corpus quotidie exerceatur, maximè ab uſu aperientium martialium, quo & hæc eò melius agant, ſanguinis motus & calor excitetur, ac excrementa rite promoveantur. Abſit QUIES, nimiaque vita ſedentaria, quam operæ virginales deſiderant, dum in lana ac tela occupatæ maximè delicatiores eſſe ſolent. SOMNO minus indulgeant, quo nihil magis ſerum in corpore cumulat, ſed vigiliis moderatis nec otioſis ſpiritus agitentur. Quæ per naturam EXCERNI debebant, legitimo tempore excernantur, nec diutius quam par eſt retineantur. Præprimis inſtans vel præſens menſtrui ſanguinis fluxus nullatenus turbetur aut prohibeatur, ſed potius quovis

modo

modo promoveatur. Et cum *Hippocraticum l. de morb. virg.* in nostro affectu maxime commendatum remedium, omnium optimum sit, quo solo sæpissimè ægræ perfectæ sanitati restituuntur, nos idem præ reliquis suadere non veremur. Est verò illud quod natura omnia animalia docuit, nempe veneris usus legitimus; hinc quantocyus connubio viris jungendæ virgines, nisi nimia cacochymia prohibeat, ubi remediorum hactenus dictorum commodæ usurpationi & actuationi tempus concedi debet, ne in partu periclitentur vel imbecillem fœtum producant. ANIMI affectus denique rationis freno regantur; maxime ii, qui spiritus ligant, ut mœror, tristitia, desiderium nimium &c. vitentur; ira verò, & gaudium, ut frigidis morbis omnibus, ita & chlorosi remedio esse potest.

TANTUM.

PAllor in ore sedet, nitor omnis corpore cedit;
Fallor, an hæc vivæ mortis imago datur?
Claude oculos, flatum tantillo tempore siste;
deberi jures hocce cadaver humo.
Tu vegetum reparas, fœdo cedente, colorem;
unde tuas laudes bella virago refert.

Cl. Dn. Candidati honoribus novis ex animo applaudo

PRÆSES.

SEnsim cuncta cadunt, edace dente
consumit peritura mox vetustas:
At mens, sidereo micans colore,
Felicissima durat & per astra

*currit; non secus ac Jovis *per auram*
proles *disripitur jubar nitentis*
solis conspiciens. Tua eminenter
scandit mens tabulata cœlicorum.
Pandis vela tuæ secunda mentis,
&, cur pallida virginis sit ipsa,
proponis, facies. Maligna res hæc
virtutis pretium tuæ est. Paratur
jam Stockhusiadæ *decus perenne*
æternùmq; futura fama durans,
quam sexus sequior colet subinde.

*Aquila

Nobiliss. Dn. Doctorando,
Amico dilectissimo, de novis honoribus
ex animo gratulatur
Augustinus Henr. Faschius, D. P. P.

FINIS.

